

expressit, audire voluit. Quibus perceptis remisit ad hanc s. Congregationem, ut quod in domino expediat, decernatur.

„Proinde antequam res in S. C. proponatur, quidquid ego adnotavi et alii considerarint, EE. VV. summae prudentiae subjicitur“.

„Dubium de Eucharistiae communionem quotidiana: num etiam non sacerdotibus cujusvis status ac sexus permittenda vel quae moderatio servanda?“

„Regula certa solvendi dubia, quae in Ecclesia oriuntur, duplex est. Una divina et a spiritu sancto immediate tradita et alia a Christi Vicario Innocentio primo“.

„Primo habetur ecclesiast. 8. 11. Non te praetereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis, quoniam ab ipsis discas intellectum et in tempore necessitatis dare responsum“.

„Secunda habetur in capit. *fn. dist. 20.*, ubi s. Innocentius papa sic habet: „De quibus causis nulla solvendi ligandique auctoritas in libris veteris testamenti, quatuor evangeliorum cum totis scriptis apostolorum appareat, ad divina recurre scripta graeca. Si nec in illis, ad catholicae Ecclesiae historias catholicas a doctoribus catholicis scriptas manum mitte. Si nec in illis, sanctorum exempla perspicaciter recordare. Quod si omnibus his inspectis quaestionis qualitas non lucide investigatur, seniores provinciae congrega et eos interroga; facilius enim invenitur, quod a pluribus senioribus quaeritur“.

„Ut ergo dubium hoc quotidianae communionis sine errore solvatur, recurrendum est ad sacram scripturam, ad concilia, ad romanorum Pontificum canones ad patres antiquos et catho-

licas historias. Hac ergo utar methodo, non modernorum doctorum dictis, nisi conciliis, patribus antiquis, qui proximiores apostolis extiterunt, sint conformia; sic ergo ad rem accedo“.

„*Quotidiana communio non est de jure divino.* Nusquam enim in evangelio vel in aliis canonicis novi testamenti scripturis id reperitur praeceptum; alioquin Ecclesia magno errore laboraret hoc praeceptum non exequendo; nec ullus patrum aut concilium id dixit“.

„*Quotidiana communio non est de jure ecclesiastico.* In nullo enim concilio, in nulla constitutione pontificia reperitur praeceptum, nec etiam pro sacerdotibus, ut quotidie sacrificent aut communicent et multo minus pro non sacerdotibus cujuscumque gradus et conditionis sint. In nullo enim concilio id reperitur, nec ullus patrum dixit“.

„Negari tamen non potest, quod ab initio Ecclesiae fuerit in praxi, ut omnes etiam non sacerdotes et cujuscumque status personae praesentes sacrificio quotidie Eucharistiam sumerent et hunc usum ab ipsis apostolis introductum fuisse erudite probat Baronius in tom. 1. anno 57. n. 154“.

„Imo refert, quod, cum fideles non possent quotidie ecclesias frequentare, particulas domi habebant, ut possent communicare quotidie, sed durante persecutione id factum esse nemo dubitat“.

„*In can. 10. Apost.* sic decernitur: „Qui ingrediuntur ecclesiam et sanctam communionem non percipiunt, vel ut inquietudines ecclesiae commoventes convenit communionem privari.“

Et nunc habetur in Can.: *Et omnes fideles d. 1. S. Ambrosius in libro 5. de Sacramentis cap. 4* consultit, ut quotidie sumatur, sic: „Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis

quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit. Sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Job sanctus offerebat quotidie sacrificium pro filiis, ne forte aliquid in corde vel in sermone peccasset, ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio domini significatur et remissio peccatorum et panem istum vitae non quotidie assumis? Qui vulnus habet medicinam requirit. Vulnus est quia sub peccato sumus. Medicina est coeleste et venerabile Sacramentum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. *Haec Ambrosius*“.

„Haec consuetudo communicandi quotidie etiam Romae tempore s. Hieronymi, nempe in quarto saeculo vigeat: sic enim habet in epistola 50. ad Pammachium: „Scio Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper corpus Christi accipiant“. Et hanc de hac consuetudine fert sententiam: „quod nec reprehendo nec probo“. Et in epistola ad Luciniam, quae est 28., ait de Eucharistia: „Quaero an accipienda quotidie, quod Romana ecclesia et Hispaniae observare perhibentur. Scripsit et Hippolytus, vir dissertissimus; diversi scriptores e variis auctoribus edidere. Sed ego illud breviter admonendum puto: traditiones ecclesiasticas, praesertim quae fidei non officiant, ita observandas, ut majoribus traditae sunt; nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti“. Et post aliqua: „Eucharistiam quoque absque condemnatione nostri pungente conscientia semper accipere et psalmistam audire dicentem *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*“.

S. Basilius in epist. ad Caesareum

Decreta authentica. Tom. III.

Patritium ait: „Communicare singulis diebus et sanctum Christi corpus percipere praeclarum est et utile, cum ipse dicat: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam.* Quis igitur ambigat vitam assidue participare nihil aliud esse, quam multifariam vivere. Nos autem quater in singulas hebdomadas divina Sacramenta participamus, dominica die, 4. feria, in Parasceve et in Sabbato et aliis diebus, si quando dominica memoria vel Sancti alicujus fuerit“.

„Sanctus Augustinus in lib. 1. ad Inquisitiones Januarii cap. 3. de hac quaestione: An quotidie sumenda Eucharistia necne? sic discurrit: „Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Eucharistiam. Quaesieris quare? Quoniam, inquit, eligendi sunt dies, quibus homo purius continentiusque vivit, quo ad tantum Sacramentum dignus accedat. Qui enim manducaverit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Alius contra imo inquit: Si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam poenitentiam et eadem auctoritate reconciliari. Hoc enim est indigne accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere poenitentiam, non arbitrio suo, cum libet, vel auferat se communioni vel reddat. Caeterum si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisque homo iudicetur, non se debet a quotidiana medicina domini Corporis separare“. Haec sunt disputantium pro et contra rationes.

At Augustinus utrique parti causam gratiose sic adjudicat: „Rectius inter eos fortasse quisque dirimit litem, qui monet, ut praecipue in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neuter enim eorum

exhonorat corpus et sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Et adducit aptum exemplum Zacchaei et Centurionis circa Christi receptionem: „Neque enim litigaverunt inter se vel quisque eorum alteri se praeposuit Zacchaeus et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum, alter dixit: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ambo Salvatorem honorificantes, sed diverso et quasi contrario modo. Ambo peccatis miseri: Ambo misericordiam consequuti. Sic ille honorando non audet Corpus Domini quotidie sumere et ille honorando non audet ullo die praetermittere. Et ita utriusque sententia approbatur, si uterque ex motivo honorandi Sacramentum vel recipit quotidie vel non recipit.

Idem s. Augustinus serm. 28. de verbis Domini explicans orationem dominicam ad „panem nostrum quotidianum“ ait: „Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt. Accipe quotidie, quod quotidie prosit. Sic vive, ut merearis quotidie accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo s. Job quotidie offerebat pro filiis sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent, ergo tu audis quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini et remissio peccatorum significatur et panem istum vitae nostrae quotidianum non assumis? Qui vulnus habet, medicinam quaerit. Vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est coeleste et venerabile Sacramentum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est, tibi hodie est Christus, tibi hodie resurgit.“ Haec Augustinus.

Idem etiam Augustinus in lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 53. sic habet: „Quotidie Eucharistiae communionem percipere, nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor.“

S. Cyprianus de oratione dominica serm. 6. declarans verba illa: *Panem nostrum quotidianum*, duplicem sensum eis tribuit. „Primus est Christus noster, qui corpus ejus contingimus, panis est. Hunc autem panem nobis dari quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absentes et non communicantes a coelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur ipso momento et praedicante: Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, vivet in aeternum.“ Et post aliqua: „Et ideo panem nostrum, id est Christum, dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus et vivimus a sanctificatione et corpore ejus non recedamus.“

S. Joannes Chrysostomus hom. 28. in epist. 1. Cor. explicans illud: „Probet autem se ipsum homo et sic de pane illo edat“ docet dispositiones necessarias ad communicandum, ut scilicet sine peccato, sine cupiditatibus ad eam accedatur, addens non debere accedentem pigne disponi et misere cogi propter solemnitatem, neque rursum compunctum et praeparatum impediri eo, quod non sit solemnitas. Solemnitas enim honorum operum est demonstratio, animae puritas, vitae certitudo; quae si habueris semper, poteris celebrare solemnitatem et semper accedere. Propterea inquit: Probet se ipsum homo et sic edat; non jubet, ut alter alteri probetur, sed ipse sibi, non publicum faciens iudicium etc.“ Sed in epistola ad Hebr. cap. 10.

hom. 17. aliter loquitur: „Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alii bis, alii saepius. Ad omnes ergo nobis sermo est, non ad eos, qui hic sunt tantum, sed etiam ad eos, qui in eremo sedent: Illi enim semel in anno participantur, fortassis enim post duos annos. Quid ergo est? Quos magis acceptabimus? Eosne, qui semel, an eos qui saepius, an illos qui raro accipiunt? Neque illos qui semel, neque illos qui saepius, neque qui raro, sed eos, qui munda conscientia, mundo corde cum vita irreprehensibili. Isti semper accedant; qui tales non sunt neque semel, quia iudicium sibi accipiunt et damnationem et supplicium.“

In hom. 62. ad Pop. Antioch. obijurat eos, qui raro communicant. „O consuetudinem, o praesumptionem! Sacrificium frustra quotidianum, incassum altari assistimus, nullus qui communicetur. Haec non ut temere comunicetis dico, sed ut vos dignos reddatis. Non es hostia dignus vel communionem: igitur nec oratione. Cum omnibus confessus de dignis esse cum indignis non secedendo, quomodo mansisti non participans de mensa?“ Et hom. 5. in epist. 1. ad Timoth. contra eos, qui putabant dignius esse non communicare ait: Hoc est quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore constare meritum putas summamque arbitraris reverentiam ac religionem esse, si non saepius coelestem illam adeas mensam. Ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit, digne vero, etiamsi saepe accedas, salutem inde conquiris? Non est audacius saepe accedere ad dominicam mensam, sed indigne accedere. Haec Chrysostomus.

Sanctus Gregorius Magnus hom. 22. in Evang. can. 73. Quid fit de consecr. dist. 2. ait: „Providens enim

nobis dominus dedit hoc Sacramentum salutis, ut, quia nos quotidie peccamus, et ille jam mori non potest, per istud Sacramentum corporis sui peccatorum remissionem consequamur. Quotidie enim ipse conceditur et bibitur in veritate.“

S. Athanasius in epistola 1. Corinth. cap. 11. declarans illud: „Probet autem se ipsum homo,“ ait: Paulus patefacit, ut tersa et nitida conscientia ad divina mysteria concedatur, inquitque: Neminem tibi in iudicem proposuerim praeter te ipsum. Tua itaque conscientia examinata discussaque adito ea mysteria non festis modo profestisque diebus, sed quovis tempore cum purum te et dignum compereris.“

Id docuerunt doctores antiqui Ecclesiae, tam graeci quam latini. Audiamus nunc modernos. Divus Thomas Ecclesiae Doctor in 3. p. qu. 100. art. 10. proponit dubium: An liceat quotidie Eucharistiam sumere? et resolvit, quod ex parte Sacramenti, cum sit hominibus salutare, utile est quotidie ipsum sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat et adducit doctrinam divi Ambrosii supra relatam, quod nempe, si quotidie quis peccat, quotidie utatur medicina; alio modo, ait s. Thomas, potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Et adducit ad hoc doctrinam s. Augustini in Sermone 28. de verb. Dom. ante medium: „Accipe quotidie ut quotidie tibi prosit, sed sic vive, ut quotidie merearis accipere,“ addens: „Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad

hoc sacramentum accedere, sed quotiescumque ad illud homo se invenerit praeparatum.“ *Haec s. Thomas.*

Idem s. Doctor in 4. senten. distinct. 12. q. 2. §. ad 2. q. inquit: „In hoc sacramento duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet: desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor et reverentia Sacramenti, quae ad donum timoris pertinet. Primum autem incitat ad frequentationem huius Sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sump-tione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare. Si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet abstinere, ut cum majore reverentia et devotione postmodum accederet. Unde quantum ad hoc unusquisque relinquendus est iudicio suo, ut dicit Augustinus.“ Et recitat, quae retuli supra de Zacchaeo et Centurione.

Sanctus Bonaventura et ipse quoque Doctor Ecclesiae in libro de profectu religionis, tit. de septimo profectu c. 21. proponens: Utrum melius sit saepius an rarius Corporis Christi suscipere Sacramentum? respondet: „Videtur mihi, quod non possit super haec omnibus dari regula uniformis. Varia enim sunt hominum merita, diversa operum studia, differentia desideria et multiplices s. Spiritus operationes in singulis et diversi etiam status in religione. Et ideo sicut in aegrotantibus non potest una forma observari in dandis medicinis corporis ob diversitates complexionum, virium, loci vel temporis vel aliarum considerationum; ita et de medicina spirituali, quae est Corpus Christi, intelligendum est. Mundialibus enim curis occupati rarius possunt sese ad illud accipiendum ex-

pedire, quam qui spiritualibus curis et studiis sunt intenti. Alii magis, alii minus sunt circumspecti in custodia vitae suae et morum et conscientiae suae puritate. Alii etiam ardenti desiderio trahuntur ad illius cibi salutarem perceptionem. Alii vero quodammodo terrentur, cum debent accedere.“ Et post aliqua addit: „Salubre et utile est tamen, quod homo saepe se ad illius medicamenti susceptionem praeparat et quanta devotione valet illud percipere studeat et post perceptionem in studio devotionis se conservet attentius, maxime religiosi et qui obtulerunt se Deo ad perpetuo ei inserviendum. Sic enim erit in majori custodia vitae suae et conscientiae, dum et ante et post Eucharistiae perceptionem ob reverentiam ipsius studeat magis innocenter vivere et studio devotionis frequenter intendere.“ Et pro tepidis haec subdit: „Et licet aliquando tepide, tamen confidens de misericordia Dei fiducialiter accedat, quia sese indignum reputat, cogitet, quod tanto magis aeger necesse habet requirere medicum, quanto magis se sentit aegrotum. Non est enim opus medicus valentibus: nec ideo quaeris te jungere Christo, ut eum sanctifices, sed ut sanctificeris ab illo; nec propterea omittenda est sacra communio, si quandoque non sentit homo specialem devotionis gratiam, cum se ad illam praeparare studet, vel cum in ipsa praeparatione, vel post forte minus devotum se sentit, quam vellet, quia forte ex aliqua praedictarum causarum ratione solet evenire.“ Postea loquitur de sacerdotibus.

Idem sanctus Doctor in 4. Senten. distinct. 12. p. 2. q. 2. a n. 82 et deinceps movens hoc quaesitum ait: „Si quis semper esset paratus, semper utile esset hoc Sacramentum recipere, ut scilicet haberet habitaculum mundum et spiritualiter comederet hunc cibum

cum honore et devotione, sicut in primitiva Ecclesia. Quia postea charitas refriguit, relictum fuit iudicio et conscientiae uniuscujusque, ut reciperet quando se dispositum videret etc.“

Multa postea subdit. „Si ergo quaeritur: utrum expediat frequentare alicui? dicendum, quod si videat se esse in statu ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare, si autem in statu ecclesiae finalis, ut frigidum et tardum, laudandum est quod raro; si autem medio modo, medio modo debet se habere et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore, quia tali hospiti debetur honor et debetur amor et tunc secundum illam partem, secundum quam viderit se melius proficere ad illam magis inclinet; quod homo solum experientia discit et ideo Augustinus non laudat neque reprehendit, sed relinquit conscientiae, quia quibusdam magis est utile frequentare, quibusdam raro, quia majorem efficaciam, credo, recipit homo in una missa vel manducatione cum bona praeparatione quam in multis, si non praeparatur diligenter.“

Adduco tantum Doctores Ecclesiae, quia eorum doctrinis utitur Ecclesia. Hi autem, ut patuit, laudant et consulunt frequentem et quotidianam communionem hominibus bene dispositis, id est peccato mortali carentibus. Ideoque non videtur posse ab aliquo pro iis dispositis quotidiana communio absque aliquo urgenti fundamento impugari.

*Accedit Concilii Tridentini auctoritas id confirmans in sess. 13. c. 8. in fine,* ait: „Mysteria Corporis et sanguinis Christi ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione et pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum substantialiter frequenter suscipere possint et iis vere

sit anima et vita et perpetua sanitas mentis, cujus vigore roborati etc.“

*In sess. 22. cap. 6. idem concilium nedum id consulit sed desiderat sic fieri, inquit: „Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos SSmmi huius Sacrificii fructus uberius proveniret.“*

*Et in citata sess. 13. cap. 2. assignans alium fructum ex huius sacramenti perceptione provenientes ait: „Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spirituale animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: „Qui manducat me vivet propter me.“ Et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur.“ Quae doctrina conformis est doctrinae Ambrosii et Augustini de medicina quotidiana ob liberationem a quotidianis et praeservationem a futuris.*

*Catechismus Romanus jussu Beati Pii V. a doctissimis viris compositus et a Papa confirmatus (in parte 2. cap. 4. n. 50), cum monuisset non satis esse semel in anno Eucharistiam sumere, consulit, ut saepe sumatur, deinde ait: „Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus id magis expediat certa omnibus regula praescribi non potest. Verumtamen illa est s. Augustini norma certissima: Sic vive, ut quotidie sumere possis. Quare parochi partes erunt fideles crebro adhortari, ut, quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendae et nutriendae animae curam non abjiciant, neque enim minus cibo spirituali anima, quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer*

autem hoc loco proderit repetere maxima illa et divina beneficia, quae, ut antea demonstratum est, ex Eucharistiae sacramentali communione consequimur. Illa etiam figura erit addenda, cum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat, itemque sanctorum Patrum auctoritates, quae frequentem huius Sacramenti perceptionem magnopere commendant; neque enim unius s. Augustini ea fuit sententia: quotidie peccas, quotidie sume; sed si quis diligenter attenderit, eundem omnium Patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse facile compererit.

Catechismus autem est regula agendorum in disciplina Ecclesiae et in usu Sacramentorum. At, sicut patuit, consulit omnibus dispositis quotidianam communionem et dicit praeterea hunc esse communem Patrum sensum id consulentium. Igitur non posset nisi temere contra concilium, Patrum sensum et Catechismum improbare in bene dispositis quotidianam communionem.

Idem confirmatur ex aliorum Romanorum Pontificum decretis, ex *can. 10. Peracta de consec. dist. 1.* Anacletus papa et martyr sic decernit: „Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiae carere liminibus. Sic enim et Apostoli stauerunt et sancta Romana tenet Ecclesia.“ Eo tempore ergo forte ad probandum christianos de fide in Eucharistiam videtur sub ea poena praeceptum, ut omnes sacrificio praesentes communicarent, cum nusquam sequentibus temporibus videatur praeceptum.

*Nicolaus I. ad consult. Bulg. c. 9.* ait: „Corpori et sanguini Domini quotidie in quadragesima majori, si deberetis communicare, consulitis. Quod ut fiat, Deum omnipotentem suppliciter exoramus et vos omnes vehementissime exhortamur, si tamen mens in affectu peccandi non sit vel si hanc non cri-

minalibus peccatis conscientia impenitens vel non reconciliata fortassis accuset vel si fratri discordanti quis vestrum suo vitio reconciliatus minus existat.“ Interim, id est usque ad Episcopi destinandi adventum tantum quadragesima, quam mos Ecclesiae majorem appellat omni est die servato superiori tenore communicandum.“ Pontifex hic hortatur, ut quotidie communicent, si dispositi sint.

*Innocentius III. in lib. de missa cap. 42. inquit:* „Dixerit ergo quisquam communicandum esse quotidie; dixerit alius non quotidie communicandum, faciat unusquisque quod pie crediderit faciendum.“

*Adrianus IV. in 4. sent. de Eucharistia proponit dubium:* „An habenti libertatem et non coarctato vi alicujus praecepti expediat accedere ad Ven. Sacramentum, an omittere?“

Et adducens prius rationes pro parte negativa, in §.: *ad oppositum* adducit rationes pro affirmativa, eo quod Eucharistia dicitur a Salvatore ipso panis quotidianus non ex alio capite, nisi quia quotidie est sumendus, ideo habendi libertatem expedit quotidie sumere instar discipulorum in primitiva Ecclesia, qui quotidie communicabant in fractione panis, act. 2., et confirmat per illud Ambrosii: Cum sanguis Christi offertur, in remissionem peccatorum effunditur, semper ergo accipere debeo, quia semper pecco. Et ex glossa super c. 11. Lucae panis quotidianus dicitur, qui sic est necessarius quantum anima carni, sive corporaliter sive spiritualiter sive utroque modo intelligatur; sed caro sine anima statim corrumpitur et scatet vermibus. Ergo sine hoc pane non poterit diu consistere conscientia nostra, quin inficiatur corruptione peccati, ut recte de eo possit intelligi verbum Prophetiae: Percussus sum ut foenum et aruit cor meum,

quia oblitus sum comedere panem meum. Psalm. 101. Haec Adrianus, sed postea docet ea, quae necessaria sunt ob decenter sumendum, tam ex parte animae, quam ex parte corporis, ut dicam infra.

Denique hic liceat advertere epistolam a s. Congregatione Concilii Tridentini scriptam Episcopo Brixiensi, qui eandem consulerat quoad frequentem et quotidianam communionem in ejus dioecesi consuetam et pro ea deferendum esse confessoriorum iudicio juxta personarum qualitatem et statum, responsum accepit his verbis: (*Sequitur suprascripta Epistola ad Episcopum Brixien. ; vid. p. 540.*)

*Dispositio necessaria pro quotidiana communione.*

Quamvis autem tam Concilia quam Patres etiam primitivae ecclesiae laudent, commendent et consulant quotidianam communionem omnibus et cujuscumque status et conditionis hominibus, omnes tamen de necessitate praerequirunt praeparationem ac dispositionem convenientem ad hunc coelestem cibum, in quo Christus homo et Deus Rex Gloriam, Sanctus Sanctorum continetur. Verum quidem est quod Patres ac Doctores ecclesiae sicut diverso spiritu fervore inflammati erant, ita dispositionis et praeparationis graduum diversitatem consulendo insinuarunt. Unde expedire credo aliquorum saltem consilia et documenta in medium afferre.

Prior omnibus loquatur Paulus Apostolus, ex quo Ecclesia tota documentum dispositionis ad communionem accepit. Paulus ergo in prima Corinth. 11. 28. ait: „Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat: qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit etc.“ *S. Cypriani* sermo de lapsis intelligit de probatione mundationis conscientiae per confessionem adducens

locum Levitic. 17.: Omnis mundus manducabit carnem et anima quaecumque manducaverit ex hac carne salutaris sacrificii, quod est Domini, et immunditia ejus super ipsum et peribit anima illi de populo suorum; et Apostolus pervicacibus comminatur, dicens: Quicumque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne reus erit corporis et sanguinis Domini, spretis his omnibus et contemptis vis infertur corpori ejus et sanguini ejus. Plus modo, in daemonum manibus atque ore delinquent, quam cum Dominum negaverunt ante expiata delicta, ante exomologesim seu confessionem factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam minantis et indignantis Domini? Pacem putant esse. Non est pax sed bellum.“ Ergo expiationem peccati per exomologesim seu confessionem et absolutionem putat esse probationem a Paulo requisitam.

*Theodoretus in ep. 1. Cor. cap. 11.* „qui manducat indigne etc.“ ait: „Hic eos pungit, qui laborabant ambitione, et eum, qui fuerat fornicatus, et eos, qui immolata idolis comederant et praeterea nos, qui cum mala conscientia audemus divina Sacramenta percipere.“ Et post „probet autem se ipsum homo et sic de pane etc.“ ait: „Sis tui ipsius iudex, vitam tuam exacte judica, conscientiam scrutare et examina et tunc donum suscipe.“ Igitur per eum probatio est conscientia munditia a suscipientemet cognita.

*S. Hieronymus* in idem caput et locum: Quicumque manducaverit, ait: „Prius ergo perscrutanda est conscientia, si in nullo nos reprehendit et sic aut offerre aut communicare debemus, unde oportet otiosum cessare a viliis, ut Sanctum Domini corpus sancte percipiat. Probet autem seipsum homo etc. Si in linteam vel vas sordidum non illud mittere audeat, quanto magis in